

Commentaria in Plotini "de Bono sive de Uno" librum (Enn. VI 9)

por J. IGAL

Aureum quod *De Bono sive de Uno* Plotinus elucubravisset opusculum auctores non pauci multis ingenii luminibus illustraverunt, ita tamen ut nondum obscuritates omnes penitus discusserint, sed librum nobis reliquerint raris quasi nubeculis conspersum verba mentemque Plotini hic illic celantibus. Quarum si vel unam alteramve quacumque ratione dissipaverimus, satis nobis fecisse videbimur dum editionem criticam Enneadis Sextae, quae coniunctim a P. Henry et a H.-R. Schwyzer clarissimis editoribus iam pridem comparatur, praestolamur.

Quid assecutus sim nescio. Certe nullum locum qui mihi videretur obscurus intemptatum reliqui, nullum consulto praetervectus sum, sed difficillimo cuique obviam ivi tum novas sive coniecturas sive interpretationes adducendo, tum veteres at prope intermortuas renovando, tum denique textum traditum a nimium facile immutantium amputantiumve coniecturis religiose tutando. Ut res ipsa postulabat, nonnullos locos praetereunter et quasi per transennam aspexi, alios minutatim exploravi¹.

1.29-30 μάλλον ἔχει κατὰ τὸν λόγον τοῦ μάλλον καὶ ὄντως εἶναι τὸ μάλλον ἔν. Anima, quamquam ab Uno diversa, tamen "*ut magis est atque entitative est, ita pro portione magis habet quod magis unum est*".

1 Numero lineolas intra capitula in *Enneade* VI iuxta BRÉHIER, in ceteris *Enneadibus* iuxta HENRY-SCHWYZER.

Primus Kirchhoff expunxit e textu postremum μάλλον. Quem secuti sunt editores interpretesque, praeter Harder, universi. Creuzer, quamquam miris modis interpunctum, textum Codicum retinuit². Harder rectissime restituit³. Quoniam tamen ipse Harder lectionem a se restitutam nullo solido fulsit argumento⁴, pernecesse est rem de novo retractare. Rationes autem e duobus fontibus haurire licet:

1.^o *ex ipsis textus traditi verbis*: etenim aliud est μάλλον ἔχει "magis habet" quod unum est, aliud τὸ μάλλον ἔν "id quod magis unum est" habet. Illud enim μάλλον afficit verbum ἔχει ad significandam *firmam* tenacemque unitatis possessionem; hoc afficit ἔν ad significandam *maioris* unitatis possessionem. Illud indicat *modum*, hoc *quantitatem* unitatis. Scilicet anima unitate pollet non solum *maiore* quam corpora, verum etiam *artiore*, cum corpora ex partibus *multiplicibus* iisque *solutilibus* compacta, quantulam unitatem obtinuerint tam facile amittant εἰς πλήθος θροπτόμενα (*supra* in hoc ipso capitulo lin. 12), anima vero quam unitatem simplicissimam sit sortita, eandem tenacissime retineat.

2.^o *ex ratiocinatione Plotini*: arguit enim ex entitate ad unitatem: ut quodque est 'ens', ita est 'unum'. Atqui anima est 'magis ens' estque 'entitative ens'. Ergo pro maiore entitate, maiore pollet unitate; pro entitativa entitate (sc. pro entitate *sincera*, nulla non-entis materiaeve commixtione), sincera pollet unitate nulli corruptioni obnoxia. Noli enim existimare duo illa adverbia μάλλον καὶ ὄντως εἶναι temere e Plotini calamo excidisse. Immo consulto scripta sunt. Per prius enim

2 CREUZER ita interpungit (in editione Parisina, quam praesto habui): μάλλον ἔχει, κατὰ τὸν λόγον τοῦ μάλλον. καὶ ὄντως εἶναι τὸ μάλλον ἔν. Versio Ficini neque tali interpunctioni respondet neque postremum μάλλον reddidit: «...tamen quatenus magis veriusque est, eatenus magis possidet unum». BOUILLET: «...cependant, comme elle est à un plus haut degré [que le corps], elle participe davantage de l'unité...». MACKENNA-PAGE: «Soul... is a thing of the greater unity in proportion as it is of the greater, the authentic, being». BRÉHIER: «L'âme... a plus d'unité dans la mesure où elle a plus d'être». CILENTO: «l'anima... possiede l'unità in piú alto grado, proporzionatamente al suo piú alto e appropriato essere».

3 *Plotinus Schriften*, übersetzt von R. HARDER (Neubearbeitung mit griechischem Lesetext und Anmerkungen). Band Ia-Ib. In annotatione ad 5 1,30 ait: «Indessen ist die Redeweise μάλλον ἔχει... τὸ μάλλον ἔν, so abundierend sie sein mag, doch wohl dem Plotin zuzutrauen». Profecto ita vertit quasi alterutrum μάλλον otiosum esset: «So besitzt denn auch die Seele... das Eine entsprechend ihrem höheren und eigentlichen Sein doch in höherem Grade».

4 Vide notam praecedentem.

Plotinus significat animam pollere superiore gradu entitatis, nempe *vita* eaque propria ac supraorganica, non ea mutuata atque organica qua corpora fruuntur animantium. Per alterum (ὄντως), ut iam admonui, indicat purissimam animae sincerissimamque entitatem, nulla materie contextam. Uno verbo, anima pollet entitate et maiore et meliore; cui respondet unitas et maior et melior: maior quia nulla membrorum organorumve varietate compacta; melior quia cum nullo non-ente conglutinata. Quia simplicissima, maiore; quia indissolubilis, artiore praestat unitate: "*magis habet id quod magis unum est*". Ergo lectio Codicum retinenda.

1.36-37 Καὶ τὰ ἄλλα <ᾶ> ἔστιν ἕκατα μετὰ τοῦ ἔν εἶναι ἔστιν.

Uncis acutis inclusi, ut iam Harder ante me (qui tamen forsitan minus fortunate selegit locum inserendi, sc. post εἶναι, pronomer. relativum plurale <ᾶ>); secus alterutrum ἔστιν delendum est, cum ambo stare nequeant, salvo sensu, sine illa inclusione. Sed multo verisimilius est <ᾶ>: per *haplographiam* excidisse quam alterutrum ἔστιν furtim irrepsisse.

2.8-9 Τί γάρ ἄν τις καὶ παρ' αὐτὸ εἶναι αὐτὸ φήσῃ;

Video huius percontatiunculae interpretationes, quae adhuc propositae sint, ad tria genera reduci posse:

Ficinus ita vertit: «Quid enim aliud quispiam praeter ens intellectumque esse dixerit unum?». Vides in hac interpretatione εἶναι pendere a φήσῃ, alterum αὐτό referri ad Unum atque accipi ut subiectum ad εἶναι, τι autem ut praedicatum, denique Ficinum legisse, quantum ex versione colligere licet, non παρ' αὐτὸ sed παρ' αὐτὰ («praeter ens intellectumque»), quam lectionem minus testatam in Codicibus Creuzer quoque habet. Comp. Bouillet: «Que peut être l'unité, en effet, en dehors de l'être et de l'essence?».

Vitringa addidit <τὸ> (...παρ' αὐτὸ <τὸ> εἶναι) quod nimirum per *haplographiam* exciderit. Hanc opinionem sectantur Volkmann, Bréhier et Cilento. Bréhier: «Que dira-t-on, en effet, qu'est l'Un, sinon l'être lui-même!». Cilento: «Infatti, che altro mai si potrà dire dell'Uno se non che è l'essere in sé?». Comp. MacKenna-Page: «There is nothing (we may be told) with which the unity would be more plausibly identified

than with Being». Vides in hac interpretatione alterum $\alpha\upsilon\tau\acute{o}$ referri pariter ad Unum idemque esse obiectum ad $\phi\acute{\eta}\sigma\alpha\iota$, $\tau\acute{\iota}$ autem praedicatum ad alterum $\alpha\upsilon\tau\acute{o}$.

Harder, testimonio Codicum stans, ita vertit: «Wie sollte man das Eine denn auch anders bestimmen wenn nicht als Sein?». In qua versione —ut ipse in *Annotationibus* commentatur— $\epsilon\acute{\iota}\nu\alpha\iota$ pendet a $\phi\acute{\eta}\sigma\alpha\iota$, id quod maxime probo. Quod autem adiungit, «zu $\pi\alpha\rho'\alpha\upsilon\tau\acute{o}$ ist aus dem Vorhergehenden ohne weiteres $\tau\acute{o}\ \epsilon\acute{\iota}\nu\alpha\iota$ subintelligierbar», in eo certe mihi videtur errare.

Si in hac varietate opinionum mihi quoque liceat opinari, quartam interpretationem adiunxerim quae neque textui tradito neque contextui vim ullam inferat: "*Quid enim praeter Unum dixerit quispiam ipsum per seipsum esse?*", ubi, ut ex versione perspicitur, $\epsilon\acute{\iota}\nu\alpha\iota$ quod a $\phi\acute{\eta}\sigma\alpha\iota$ pendere facio, accipitur absolute sine praedicato; refero alterum $\alpha\upsilon\tau\acute{o}$ (acceptum ut pronomen emphaticum, sensu philosophico) non ad Unum, sed ad $\tau\acute{\iota}$ quicum coniunctim est subiectum ad $\epsilon\acute{\iota}\nu\alpha\iota$ ita ut $\epsilon\acute{\iota}\nu\alpha\iota\ \alpha\upsilon\tau\acute{o}$ = $\alpha\upsilon\tau\omicron\sigma\epsilon\acute{\iota}\nu\alpha\iota$ ⁵. $\Pi\alpha\rho'\alpha\upsilon\tau\acute{o}$ refero, ut patet, ad Unum. Plotinus (videlicet non sua ipsa persona loquens toto hoc loco, sed vices gerens obicientis) arguit nihil aliud praeter Unum posse *ipsum per seipsum esse*, ideoque primarium Unum = primarium Ens.

2.21-23 $\text{Καὶ ὁγὼ καὶ τὸ ὄλον ὄν πάντα ἐν αὐτῷ ἔχον τὰ ὄντα ἂν εἶη κτλ.}$

Alterum $\tauὰ\ ὄντα$ quod auctores post Kirchhoff generatim delent, credo posse, immo debere, cum Codicibus retineri, si verba illa accipias ut appositiva ad $\tauὸ\ ὄλον\ ὄν$, sensu *explicativo* ac fere *causali*: "*quippe entia, utpote non unum ens, sed entia*". Cum *ens totale* omnia in se entia, non utcumque, sed per identitatem contineat (V 9.6.1-2), sequitur *esse* omnia entia, ergo multipliciter multiplex. Plotino autem eiusmodi appositiones maxime cordi fuisse, *Enneades* ipsae saepe testantur (II 4.4.15; IV 1.6; IV 3.20.25; IV 7.1.23; V 8.4.20-21).

⁵ Verbum tamen ipsum $\alpha\upsilon\tau\omicron\sigma\epsilon\acute{\iota}\nu\alpha\iota$, quod apud Patres videre est (G. W. H. LAMPE, *A Patristic Greek Lexicon*, Oxford 1961 s.v.), nullibi reperitur in *Enneadibus*. Contra $\alpha\upsilon\tau\omicron\sigma\epsilon\acute{\iota}\nu\alpha\iota$ VI 8.12-8.

3.20. ἄτε πρὸς τὸ ἀγαθὸν σπεύδοντα γενέσθαι: "quippe qui *studet se ad Bonum conferre*".

Müller, Volkmann, Bréhier, Harder delent γενέσθαι: quod Harder tenet «nicht für erträglich». Comp. MacKenna-Page: «...in our intention towards The Good».

Tametsi non nobis, servantibus ac restituentibus, sed oblitterantibus rationes afferendae erant, tamen lectioni traditae suffragari iuvat. Nam:

1.^o γενέσθαι πρὸς τινα aequè fere valet ac latine 'se conferre ad aliquem'⁶.

2.^o σπεύδω percommode regit infinitivum verbi motum localem designantis; cf. *infra* 9.53-54 ὥστε ἐξελθεῖν σπεύδειν ἐντεῦθεν.

3.51-52: hunc locum Codices nostri bifariam reddunt⁷:

1) Δεῖ δὲ μὴδὲ τὸ ἐκεῖνο μὴδὲ τὸ τοῦτο λέγειν.

2) Δεῖ δὲ μὴδὲ τὸ ἐκεῖνου μὴδὲ τὸ ὄντως λέγειν.

Ex editoribus atque interpretibus longe plerique priores lectiones praeoptant μὴδὲ τὸ ἐκεῖνο μὴδὲ τὸ τοῦτο. Harder legit μὴδὲ τὸ «ἐκεῖνο» μὴδὲ ὄντως (omisso articulo in altero membro): «Ja selbst 'jenes' dürften wir es im eigentlichen Sinne nicht nennen, wenn wir genau reden wollen...»⁸.

Lege *lectionis difficilioris* ductrice credo nos posse ex hoc quasi labyrintho extricari. Nam genetivus ἐκεῖνου lectio sane difficilior videatur cuiusquam quam ἐκεῖνο. Pari ratione τοῦτο pellucidum sensum praebet prae obscuriore ὄντως. Re propius inspecta, ilico suspicio exoritur sub hoc adverbio delitescere vetustiore lectionem nullibi iam in Codicibus exstantibus testatam, nempe genetivum ὄντως⁹. Quam suspicionem geminae coniunctiones μὴδὲ... μὴδὲ augent. Si textum retro respicias, reperies utrumque genetivum inveniri in sententiola proxime praecedente: ἐκεῖνου ὄντως; ἐν αὐτῷ. Suspicio iam au-

6 Cf. LSJ γίγνομαι II 3c (p. 350 lin. 9s.).

7 Vide statum Codicum apud CILENTO, *Comm. ad locum*.

8 Interpretatio Harderiana, praeter quam quod articulum in altero membro omittit, habet contra se primum quod bipertitam dispositionem tollit (μὴδὲ... μὴδὲ...), deinde quod ὄντως, quod ipse interpretatur «in eigentlichen Sinne refert ad λέγειν, id quod parum credibile est.

9 In eandem conclusionem devenerat RITTER, ut apud CILENTO in *Comm. a. 1.* repeio. Quam coniecturam per memet ipsum conieceram, gavisus sum illius auctoritate confirmatam videre.

gescit quas ab initio lectiones odorabamur, eas solas genuinas esse, scilicet: Δεῖ δὲ μὴδὲ τὸ «ἐκείνου» μὴδὲ τὸ «ὄντος» λέγειν, utroque genetivo e priore sententia iterato casuque immutato verborum textualium ritu¹⁰. Atque ipsius argumenti consecutionis consideratio comprobabit nos divinando a veritate non aberrasse. Nam cum paulo ante commemorasset Plotinus attributum *causae* praedicari de Uno non intrinsecus sed solummodo *extrinsecus*, quod in nos ex Eo quiddam redundet "*Illo in Se Ipso existente*", continuo haec ipsa verba quasi inaccurately excisa corrigens "*Sed accurate* —inquit— *dicenti neque 'Illo' neque 'existente' dicendum est*".

4.16-35. In eum locum incidimus quem non cursoria citataque lustratione explorare, sed patientissima indagazione perscrutari oporteat, non unam aut alteram vocolam vestigando, sed latebrosa quaeque textualia, grammaticalia, doctrinalia passim per totam paragraphum anquirendo. Hic mentis acies nobis opus est atque «odora canum vis». Res quasque singillatim perlustremus.

a) *de genuino textu lineolae 20*. δεξάμενον δὲ φῶς ἀληθινόν

Pauci Codices eo solum discrepant quod omittunt participium δὲ. Auctores praeter Creuzer universi participium accusativum δεξάμενον emendant in nominativum masculinum¹¹, fallaci, ut ego opinor, indicio deerrantes, quod putaverint participium illud cum paulo post subsequente περιφωτίσας coniungi cum eodemque ope videlicet coniunctionis καὶ coordinatum esse: δεξάμενος... καὶ περιφωτίσας. Sunt qui praeterea, hoc pri-

¹⁰ Ad simillimam citationem textualem vide *infra* in hoc ipso opusculo 10.11-12 Τάχα δὲ οὐδὲ «ἴφεται» λεχτέον, prioris ἴφεται corrigendi causa (lin. 10). Quae verba HEINTZ et post eum HARDER deleverunt. Immerito quidem, nam: 1.º per μ ἄλλονδὲ correxerat iam quidem illud ἴφεται at non tam quia *inaccurate* quam quia *insufficienter* dictum («...videbit... immo, coexistet...»); 2.º Per correctionem proxime subsequentem (lin. 12ss.) Plotinus respicit non iam solum *subiectum* ut ante (ἴφεται, τὸ ὄρων), verum etiam *obiectum* (τὸ ὀφθέν, τὸ ὀρώμενον) Itaque rationes ad secludendum a HARDER (*Anmerk.* 70, 10, 11- allatae rem minime evincunt. Plura exempla videre est apud H.-R. SCHWYZER, *Plotinos* (RE XXI-1 516, 40-517, 8) de simili usu articuli.

¹¹ CREUZER legit ἀναπαυσαμένου, δεξάμενον φῶς ἀληθινόν. Primus KIRCHHOFF emendavit in δεξάμενος, quem editores posteriores mente unanimes sectantur. FICINUS vertit: «...ubi sane verum accipitur lumen». BOUILLET: «ravisement qu'éprouve celui qui a vu la lumière véritable et dont l'âme...». MACKENNA-PAGE: «Or struck perhaps by that authentic light, all the soul lit...». BRÉHIER: «si celui qui reçoit la lumière véritable et illumine...». CILENTO: «se, pur accogliendo la luce vera e precingendone...». HARDER: «wohl nimmt er wahres Licht auf und erleuchtet...».

mario errore decepti, in novas emendationes deflexerint, quod existimarint particulae δὲ loco, quam ceteri omittant, particulam μὲν subrogandam esse¹², in locumque infinitivi ἀναβεβηκέναι participium ἀναβεβηκώς (lin. 21) sufficiens, illa serie participiorum obtenta: δεξάμενος μὲν... καὶ περιφωτίσας... ἀναβεβηκώς δὲ...

Ad errorem illum fundamentalem propulsandum auctorum vix non omnium accusativum δεξάμενον in *nominativum* masculinum emendatum, necesse est ante omnia prae oculis habere Plotinum toto hoc loco condicionem hominis ad Bonum versus itinerantis ita describere, ut simul indirecte atque obiter sed distincte naturam ipsius unionis mysticae certis lineamentis depingat. Quare perquam caute perpendendum est sententiae singulae utri quaeque convenient, statuine perfecto necne, terminone an viae. Ac de altero quidem participio περιφωτίσας ex adiuncta sentiola (διὰ τὸ ἐγγυτέρω γεγονέναι) dubium nullum exoriri potest quin eius condicionem describat qui propius quidem ad metam accesserit, sed ad calcem ipsam nondum pervenerit. Id quod vel per praeverbium ipsum περι- Plotinus satis videtur insinuare. Hoc enim praeverbium hominem significat non tam *lumine plenum* quam *lumine circumamictum*, eum, inquam, qui totam animam propius accedendo *circumvestivit* quidem luce, lucidis Formarum Intelligibilium sideribus circumcirca fulgentibus, *at lumen ipsum verum nondum intus suscipit*¹³.

Contra participium δεξάμενον (sive in accusativo cum Coedicibus retinendum sive utcumque emendandum) describit hominem *mystica illuminatione percussum*. Nam:

1.º *Verum Lumen* (φῶς ἀληθινόν), de quo sermo est, nullum nisi Bonum designat¹⁴; *verum* autem *Lumen recipere* nihil aliud significat quam *Bonum mente excipere*, *Bonum intus in animam per unionem suscipere*, neque solum *lumine ob propinquitatem circumfundi*¹⁵.

12 Primus MÜLLER quem sequuntur VOLKMANN, BRÉHIER, CILENTO. Contra HARDER legit δεξάμενος et ἀναβεβηκέναι (vid. *infra* notam 20).

13 CILENTO recte vertit περιφωτίσας «precingendone».

14 VI 8.18.32-36; V 6.4.14-20.

15 CORAP. *infra* (lin. 25-26) ὥστε παρὸν μὴ παρῆναι ἀλλ' ἢ τοῖς δέχεσθαι δυναμένους 7.15-16 πρὸς πλήρωσιν καὶ ἐλαμψιν αὐτῆ τῆς φύσεως τῆς πρώτης; 9.57-59 αὐτόν μὲν ἡγλαισμένον, φωτὸς πλήρη νοητοῦ, μᾶλλον δὲ φῶς αὐτὸ καθαρὸν.

2.º In praecedentibus lineolis (16-19) Plotinus duobus quasi insignibus unionem mysticam distinxerat¹⁶: *visione* (τὸ θέαμα, τῆς ἐκεῖ ἀγλαίας, ἐκ τοῦ ἰδεῖν) et *experientia amatoria* (ἔπαθε ἐρωτικὸν πάθημα). Iam cum in versu 19 per orationem participii aoristi describatur altera nota (*experientia amatoria*: ἐραστοῦ ἐν ᾧ ἐρᾷ ἀναπαυσαμένου), credibile est priorem quoque notam (*visionem*) describi per alteram orationem participii aoristi in versu 20 proxime subsequentis. Consentaneum quoque est participium δεξιόμενον aut retinendum esse cum Codicibus in accusativo, particula tamen δὲ exclusiva, aut, id quod longe probabilius existimo¹⁷, *emendandum esse in genetivum* et cum antecedente, non cum subsequente coniungendum. Ita enim obtines geminos genetivos compendiose et quasi rotunde totam experientiam mysticam depingentes: ἐραστοῦ ἐν ᾧ ἐρᾷ ἀναπαυσαμένου, δεξιόμενου δὲ φῶς ἀληθινόν, "amantis in Eo quem amat requiescentis, luce autem vera iam intus suscepta, etc."¹⁸.

b) *de syntaxi participiorum sub lineolas 20-24 cadentium*. Sequitur ut, participio δεξιόμενον in genetivum emendato, analysi quam exactissimae subiciamus syntaxim *quinque* participiorum ante digressiunculam ex ordine consequentium: περιφωτίσας... ὑπάρχων . ἀναβεβηκώς . ἔχων .. συναχθεῖς Haec quinque participia *in seriem bis bimembrem* colligata esse (tamen non quattuor, sed quinque propterea quod quartum membrum iterum in duo quasi membricula diffinditur), uno obtutu conspici potest:

καὶ . περιφωτίσας .. γεγονέναι
ἀναβεβηκέναι δὲ... ὑπάρχων
καὶ.. ἀναβεβηκώς
ἀλλ'ἔχων... ἤ... συναχθεῖς.

Facile iam nobis uno oculorum coniectu contuentibus apparet per utrumque καὶ antithesim introduci, primam (chiastice

16 Comp. 8.43 ὅταν αὐτὸ ἴδωμεν, τότε ἡμῖν τέλος καὶ ἀνάπαυλα.

17 Textus prout legitur in editione Creuzeriana *in se ipso* intelligibilis est, sc. iungendo δεξιόμενον cum subiecto subaudito verbi ἰδεῖν, sed praeter quam haec interpretatio parum naturalis est, omittit particulam δὲ, tollit autem parallelismum quem Plotinus videtur intendisse: ἀναπαυσαμένου (sc. μὲν), δεξιόμενου δὲ. .

18 Per adverbium 'iam' indico actionem per δεξιόμενου expressam anteire actioni per ἀναπαυσαμένου significatae, cum ex ἐκ τοῦ ἰδεῖν liquido constet illam antecedere, hanc consequi.

dispositam) per particulam δὲ, alteram per ἀλλὰ signatam¹⁹. De altero membro prioris antithesis ἀναβεβηκέναι δὲ ὁπισθοβαρῆς ὑπάρχων, duo animadvertere libet: primum de infinitivo ἀναβεβηκέναι, quem nonnulli in participium ἀναβεβηκώς emendaverunt, immerito quidem; est enim infinitivus consecutionis: "etiam tum nimium deorsum gravatus quam ut possit sursum stare"²⁰. Deinde de particula δὲ, cui in priore antithesis membro respondere debeat μέν, subaudiendum quidem, at non post γεγονέναι, sed post περιφοτίσας²¹. De munere autem syntactico quo cuncta haec quinque participia fungantur, id causale esse constat tum ex ipsius Plotini verbis ἀλλὰ διὰ ταῦτα (I. 30), retro ad lineolas 20-24 respicientibus, tum ex indole utriusque antithesis. In priore enim is describitur qui propius quidem ad metam accesserit, sed sursum stare nequeat impedimentis gravatus; in altera is qui sursum stans, a visione nihilo minus secludatur quippe qui nondum sit perfectam sive solitudinem sive unitatem nactus²².

c) *de lineolis 27-30*. Quae in hisce lineolis (dilata interim tractatione praecedentium 24-27) dilucidatione videbuntur egerre, singillatim pertractabo:

27-28 .. καὶ τῇ ἐν αὐτῷ δυνάμει συγγενεὶ τῷ ἀπ'αὐτοῦ κτλ. Verba illa aenigmatica, quae videntur criticos non mediocriter conturbasse, συγγενεὶ τῷ ἀπ'αὐτοῦ, alii retinent cum Codicibus, alii emendant. Illi omnes accipiunt τῷ ut dativum significantem terminum cognationis. Ceterum sensum ipsum alii aliter interpretantur. Ficinus ita vertit: «...per similitudinem videlicet

¹⁹ Integrum erat Plotino scribere καὶ ἀναβεβηκώς, οὐ μόνος δὲ, ἀλλ'ἔχων... sed anteposuit brevilloquentiam parallelismo.

²⁰ Animadverte *perfectum*: non "sursum ascendere", sed "sursum stare".

²¹ Comp. HARDER, *Anmerk.* 27 4, 20.

²² Inter utramque antithesim non solum discrimen verum etiam gradatio intercedit: in prima potuit ascendere (sc. ad intelligibilia); sursum stare nequivit, rursus ad sensibilia deicitur. In altera potest quidem sursum stare (nota iterum *perfectum* ἀναβεβηκώς), ad intelligibilia assuefactus, perpetuus caelicola atque assiduus mundi suprasensibilis inquilinus; at ob eam ipsam causam nondum absolutae solitudinis compos nequedum perfectissimam unitatem nactus, quippe qui Formas ipsas intelligibiles non vacuefecerit ad plenitudinem atque illuminationem Primae Naturae suscipiendam (cf. 7.14-16). In lin. 31 tertiam addit causam «*defectum 'rationis ductricis'*». Itaque Plotinus quattuor gradus distinguit: *primus* est eius qui, *ratione* destitutus, in sensibilibus atque cismundanis caecutit (comp. 5.1-5); *alter* est eius qui modo in sublime fertur modo rursus humi delabitur; *tertius* est eius qui perpetuo volatu intelligibilia tranat; *quartus* est eius qui per perfectissimam etiam intelligibilium vacuitatem lumen verum intus suscipit, immo luce plenus fit ipse lux (9.58-59).

quamdam insitamque potentiam, *muneri inde tributo cognatam*" (scripsi curvis litteris verba pertinentia). Haec tamen distinctio inter *munus* inde (=ab Uno) tributum et potentiam insitam muneri illi cognatam, cuiusmodi sit in incerto est. Similiter Bouillet: «...en vertue également d'une puissance innée *analogue à celle qui découle de lui*»²³. Habes iterum distinctionem inter potentiam ab Eo defluentem et potentiam insitam illi cognatam. MacKenna-Page difficultatem eludit: «...and by that kindred power within themselves». Cilento interpretationem ingeniosiore excogitavit: «...e in virtù di quella potenza ch'è in Lui, *congeniale a ciò che deriva da Lui stesso*»²⁴. Harder pariter: «...vermöge der Kraft, die in Jenem wirkt *und den von Ihm stammenden Wesen verwandt ist*»²⁵. Harder in commentariolo ad 4.21 Plotinum excusat quod per inversionem quamdam Unum suis oriundis cognatum nuncupaverit, non e contrario haec Illi²⁶. Licet tamen in hac tam praepostera inversione conivere velimus, in illo, quod multo gravius est, vix coniveamus, ut, id quod et Cilento et Harder volunt, verba illa τῆ ἐν αὐτῷ δυνάμει ad virtutem Uni insitam referri patiamur. Perspicue enim per illa verba Plotinus vult virtutem homini insitam significare qua ipse valeat Unum intueri²⁷.

Itaque auctores complures ad emendationem cucurrerunt, qua nodum non enodant, sed caedunt. Müller enim emendavit τῷ in τῆ. Quem sequuntur Wolkmann et Bréhier: «ils ont en eux une puissance apparentée à lui et qui vient de lui»²⁸.

Solutio huiusce aenigmatis meo quidem iudicio aliunde petenda est. Ita enim existimo, dativum τῷ esse causalem, orationem autem ipsam ellipticam esse τῆ ἐν αὐτῷ δυνάμει συγγενεῖ (sc. οὐσῆ) τῷ ἀπ'αὐτοῦ (sc. εἶναι) "...per insitam virtutem, *cognatam* (sc. Ei) *quia ab Eo* (sc. venit)". Ad simillimam ellipsim cf. V 4.2.11-12²⁹. Itaque Plotinus in hac interpretatione explicat

23 Perinde atque in versione Ficiniana curvis litteris scripsi verba pertinentia.

24. Vide notam praecedentem.

25. Vide notam 23.

26. «...nicht das Eine sollte seinem Abkömmlingen stammverwandt genannt werden, sondern umgekehrt diese Jenem».

27. Sunt qui τῆ ἐν αὐτῷ δυνάμει mutaverint in τῆ ἐν αὐτοῖς δυνάμει. Ita MÜLLER, VOLKMANN, BRÉHIER, Sed immerito.

28. Vide notam praecedentem.

29. Ἔστι δὲ καὶ ἄλλο τῷ μετ' αὐτὸ νοητόν. III 9.1.11 ἀλλ'ἢ μόνον τῷ ἕτερα. Cf. SCHWYZER, *art. c.*, 520, 11-25.

visionem per virtutem insitam, virtutem autem insitam per *cognitionem* seu '*syngéneian*', *cognitionem* autem per ortum. Cognatio enim dicit communitatem generis a parentibus ad sobolem per ortum traductam³⁰. Hoc autem loco Plotinus nihil agit nisi compendiose eandem doctrinam exprimit quam paulo post in libro nostrum proxime consequente (V 1.1) uberiore sermone expedit.

28-29 ὅταν οὕτως ἔχη ὡς εἶχεν ὅτε ἦλθεν ἀ'αὐτοῦ κτλ.

Reperio auctores discrepare de subiecto horum trium verborum. Iuxta Ficinum animus: «...quando scilicet animus omnino sic est affectus, sicut erat, cum inde processit...». Pariter Bouillet: «...quand leur âme enfin se trouve dans l'état où elle était lorsqu'elle leur est venue de lui...». Cilento similiter: «...qualora tale potenza si serbi tale com'era quando uscì da Lui...». Iuxta Harder³¹ subiectum (sicuti ad δύναται lin. 29) est 'quidam' (nimirum subaudiendum ex lin. 17): «und wenn ein solches... sich in dem Zustand befindet wie damals als er von ihm ausging, dann erst vermag er...».

Equidem, semel admissa interpretatione nostra sententiae praecedentis («...per virtutem insitam, quae ideo est cognata Ei quia ab Eo procedit»), non haesitaverim affirmare verba illa ὅτε ἦλθεν ἀ'αὐτοῦ resonare ad praecedentia τῷ ἀ'αὐτοῦ. Quapropter subiectum ad ἦλθεν, sicuti et ad duo alia verba (ἔχη, εἶχεν) nullum aliud esse potest quam δύναμις illa quam modo dixerat ab Eo processisse; quam ubi tam mundissimam nullaque labe concretam reddideris quam purissima ab Eo processit, tunc demum ea poteris Unum intueri. Profecto Plotinus prae oculis habet, ut luculentius elucebit ubi de 8.14-15 sermo erit, Platonis *Rem publicam* X 611b-612a.

29-30 ἦδε δύναται ἰδεῖν ὡς πέφυκεν ἐχέινος θεατὸς εἶναι κτλ.

ἦδε, ut saepe graece, est emphaticum atque in positione emphatica collocatum: *iam*, sed non ante, *tunc demum*. Recte Harder «dann erst»; Cilento «ecco, allora». De indicativo δύναται, quem nonnulli immerito in infinitivum emendant, infra dicam. Nunc de *vi restrictiva* illius oratiunculae ὡς πέφυκεν

30 De '*syngeneia*' apud Plotinum cf. R. ARNOU, *Le Désir de Dieu dans la Philosophie de Plotin* (2 ed.). Rome 1967, praes. pp. 148-156.

31 HARDER hanc orationem seungit a praecedentibus (*Anmerk.* 28-29 4, 27-30. Sed vide *infra* et notam 34.

ἑκεῖνος θεατὸς εἶναι, operae pretium est commemorare restrictionem hoc loco, quidquid de aliis locis censendum est, non esse *quantitativam*, sed *modalem*. Itaque Bréhier minus accurate vertit «autant qu'il peut être objet de contemplation» (quasi Plotinus scripsisset ὅσον) Similiter Arnou³²: «autant qu'il est dans sa nature d'être vu». Hoc enim loco sermo nullus est de *amplitudine* visionis, sed et de *instrumento* visionis (sc. per virtutem *dumtaxat* insitam eaque cognatam) et de *condicione idonea* illius instrumenti (tum *dumtaxat* cum virtus illa, qua condicione afficiebatur ubi ab Eo processit, eadem affecta erit): "*ea dumtaxat ratione qua Ille secundum naturam suam spectabilis est*".

d) *de digressiuncula* (lin. 24ss.) *et de oratione consecutiva* (lin. 26ss.). Tres quaestiones invicem conexas coniunctim tractabo. Agam enim 1.º de oratione consecutiva, sitne infinitivi an indicativi, 2.º de digressiuncula, ubi desinat, 3.º iterum de oratione consecutiva, a quo pendeat.

1.º *de oratione consecutiva, sitne infinitivi an indicativi.*

Si orationem consecutivam lin. 26 per coniunctionem ὥστε initam, malueris ut consecutivam infinitivi interpretari (ita ut coniunctio ὥστε regat *directe* ἐναρμόσαι, ἐφάσθαι, θεγεῖν, undique difficultatibus circumsessus urgebere. Nam aut indicativus δόναται erit tibi penitus exterminandus (ita ut ἰδεῖν cadat *directe* sub coniunctionem consecutivam), aut in eius locum infinitivus eiusdem verbi δόνασθαι subrogandus, id quod nonnulli faciunt³³, aut, si indicativum retinueris (prohibemur enim auctoritate Codicum ab utraque et ab exterminatione et a subrogatione), novis plagis irretiere. Seiungenda enim erit tibi tota illa oratio (καὶ τῇ ἐν αὐτῷ δυνάμει... θεατὸς εἶναι) a praecedente saltem per punctum elatum cum Harder, id quod primum parum naturale videtur³⁴, deinde hanc orationem ita seiunctam aut intra digressiunculam includis aut extra eam collocas. Sed eam intra digressiunculam includere Plotinus ipse vetat, cum

32 *Op. cit.*, p. 249.

33 MÜLLER, VOLKMANN, BRÉHIER, *Comp.* notam 27.

34 Parum naturale quia 1.º quattuor infinitivi ἐναρμόσαι, ἐφάσθαι, θεγεῖν, ἰδεῖν, eandem experientiam mysticam describentes, nexu quam artissimo coniungi debere videntur. 2.º Quia similis nexus intercedit inter ὁμοιότητι et τῇ ἐν αὐτῷ δυνάμει συγγενεῖ. Ergo, iuxta naturalem interpretationem, tertium καὶ (καὶ τῇ ἐν αὐτῷ δυνάμει) coordinatum apparet cum duobus praecedentibus.

per transitum e plurali *δυναμένοις καὶ παρεσκευασμένοις* in lin. 26 ad singulare (*ἐν αὐτῷ... δύναται*) in lin. 27ss., satis aperte indicare videatur se iam, si non ante, saltem ab extrema lin. 27 rediisse e diverticulo ad viam, e digressiuncula ad eum hominem (τις lin. 17), de quo, praeter quam in digressu, perpetua oratione sermo fit. Sin eandem illam orationem (*καὶ τῆ ἐν αὐτῷ δυνάμει κτλ.*) extra digressiunculam collocaveris, cursum orationis condicionalis lin. 16 initae per innecessarium anacoluthum rupisti³⁵: «Si vero quisquam nondum ad spectaculum accessit... et quia... et quia... [digressio]: ac per insitam virtutem... potest iam etc.».

Re undecumque circumspecta, praestat, nisi vehementer erro, orationem consecutivam aliter intelligere, nempe indicativum *δύναται* regi *directe* a coniunctione consecutiva ac vicissim ab illo indicativo quattuor infinitivos pendere veluti totidem aspectus unius eiusdemque mysticae experientiae (*ἐναρμόσαι, ἐφάψασθαι, διεγείν, ἰδεῖν*), *δύναται* autem, quamquam in indicativo, quam e consecutiva infinitivi *possibilitatis* hoc loco notionem praestolarere, per solam sui significationem iam satis suppeditare. Ut manifestum est, subiectum ad *δύναται* est *τις* (lin. 17).

Et quoniam satis mihi videor huic primae quaestioni fecisse, confestim, tamquam arduo fastigio superato, proprio via iam declivi duas alias quaestiones enodare.

2.º de digressiuncula, ubi desinat.

Reditus e plurali (lin. 26) ad singulare (lin. 27, 29) in media oratione consecutiva, indicio satis manifesto nobis esse debet parenthesesim digressionis claudendam esse ante coniunctionem consecutivam solisque lineolis 24-26 contineri (sc. *οὐ γὰρ .. παρεσκευασμένοις*).

3.º de oratione consecutiva, a quo pendeat.

Ex supra dictis conicere licet orationem consecutivam minime pendere a participio *παρεσκευασμένοις*, sed ab alio verbo quod parenthesesim antecedit, sc. ab *ἡμίπω εἰς ἐν συναχθεῖς* (lin. 23s.): "...sive nondum ad id unitatis redactus ...ut possit cum Eo copulari etc."³⁶.

³⁵ Quidquid de aliis locis est (vide de anacoluthis plotinianis SCHWYZER, *art. c.*, 522, 39ss.), hic nullus locus est anacolutho (vid. notam 37).

³⁶ De parenthesisibus in *Enneadibus* vide SCHWYZER, *art. c.*, 522, 14ss.

Libet iam perspicuitatis causa totius huiusce paragraphi (lin. 16-35) versionem continuam adiungere³⁷:

"Si autem quisquam nondum ad spectaculum accessit neque candorem Ibi nitentem animo conspexit neque illam quasi amatoriam experientiam ex visione ortam est expertus, neque ea secum ipse fruitus, amantis in Eo quem amat requiescentis, intus autem iam luce vera suscepta, idque ob eas causas, et quia totum animum propius accedens circumamixit quidem lumine, onere tamen visionem impediante etiam tum nimium gravatur deorsum quam ut possit sursum stare, et quia haud solus stat sursum, sed secum habens quod se ab Eo secludat, sive nondum ad id unitatis redactus (Ille enim a nemine abest, abest autem ab omnibus, ita ut praesens non adsit nisi solis suscipere valentibus riteque comparatis) ut possit cum Eo copulari Eumque prae similitudine quasi apprehendere atque attrectare, per insitamque virtutem, quae ideo cognata est Ei quia ab Eo processit, Eum tunc demum cum ea virtus qua condicione affecta erat ubi ab Eo processit eadem affecta erit, ea dumtaxat ratione intueri qua Ille secundum naturam suam spectabilis est; si igitur nondum Ibi adest, sed foras abest sive ob hasce causas sive ob defectum 'rationis' manu ducentis fideoque de Eo praestantis, is semet ipsum de eo casu criminetur, ab omnibus absistat solusque relinqui meditetur; si qua autem rationum egens diffidat, ita ratiocinetur".

5.20-21 Τοῦτο οὖν τὸ ὅμοῦ πλῆθος, ὁ κόσμος ὁ νοητός, ἔστι μὲν ὁ πρὸς τῷ πρώτῳ κτλ. *"Haec igitur multitudo una existens, universus, inquam, intelligibilis, is quidem est qui Primo proxime adest etc."*.

Ingenuè fateor illud me celari, cur auctores tam paene unanimi consensu articulum ὁ a formula ὁ πρὸς τῷ πρώτῳ exsulare coëgerint. Quae tamen formula, vi potissimum articuli masculini, munere fungitur *nominis proprii* (=qui Primo proximus), aequè valet atque ὁ δεύτερος ac perbelle universum intelligibilem describit et *quasi personam* et a *Primo secundum*, huic

37 Totius paragraphi contextum paucis adumbrare libet: Protasis bis prosilit, primum (lin. 16ss.), impetuosiore ac sublimiore volatu, per antecedens orationis condicionalis, cui subiungitur series bis bimembris participiorum, a cuius extremo membro, digressionem interposita, pendet oratio consecutiva. Iterum (lin. 30-32), modestiore atque humiliore meatu, brevissimo intervallo immorata, in apodosim desinit; quae vicissim praeceptum ruit (lin. 32-35) solis tribus lineolis contenta.

non quoquomodo, sed unice proximum³⁸. Quamobrem, donec solida ratio contra afferatur, malo Codicibus credere³⁹.

5.29-40. Ecce iterum locum offendimus non mediocriter nubilum, sed maximam partem opacatum, caligine paene in totam paragraphum grassante Ergo rursus accinti novo operi sedulo incumbamus. Tota enim oratio non modo crebris scaturit lectionibus sive dubiis sive in discrimen vocatis, verum etiam ita sinuose quasi per anfractus multisque maeandris decurrit ut haud facile sit meatum quemque describere. Pedetentim procedamus.

29-30 τὸ δὴ πρὸ τοῦτου θαῦμα τοῦ ἕν, ὃ μὴ ὄν ἐστὶν κτλ.

Auctores communiter priorem partem emendant, alteram immutatam retinent. Ego vero illam servarerim, hanc emendare ausim. Utramque seorsim inspectemus.

1.º Auctores, etiam Creuzer, emendant τοῦ ἕν in τὸ ἕν. Sed in pari emendatione dispar est ratio interpretandi. Alii enim verba ita emendata accipiunt ut praedicatum, alii ut appositiva. Ut praedicatum iam Ficinus: «quod,inquam, super hoc mirabiliter exstat, velut miraculum est ipsum unum». Bouillet: «Ce qui est au-dessus de l'Intelligence, c'est l'Un même, merveille incompréhensible»⁴⁰. Bréhier: «La merveille qui est avant elle, c'est l'Un». Cilento similiter: «quel prodigio, insomma, che è anteriore a lo Spirito, si è proprio l'Uno». Ut appositiva MacKenna-Page: «That awesome Prior, The Unity...». Harder: «das Wunder also, das vor diesem Geist liegt, das Eine...»⁴¹.

Equidem pro certo habeo nulla emendatione hoc loco opus esse. Nam τοῦ ἕν stat pro τοῦ ἐνός more plotiniano (comp. V 5.5.3 μένοντος μὲν τοῦ ἕν, ac supra in hoc ipso libro 1.38 τὸ σῶμα μετέχει τοῦ ἕν, 5.26 οὐκ ὄντος δὲ ἕν, paulo ante nostrum locum⁴²), genitivus autem ipse est *epexegeticus* isque *appositivus*⁴³ (comp. vgr. apud Aeschylum θεῶν σέβη *Supp.* 755; ὦ μη-

38 Comp. V 5.3, praes. 4-5 et 20; V 1.6.50-51.

39 CREUZER quoque stat Codicibus. Comp. BOUILLET: «celui-ci est ce qu'il y a de plus près du Premier».

40 BOUILLET, quantum ex versione colligitur, accipit τὸ δὴ πρὸ τοῦ ut subiectum, τὸ ἕν ut praedicatum, θαῦμα in appositione ad τὸ ἕν.

41 *Ammerk.* 35-37 5, 29-30: «das ist kein abgeschlossener Satz..., er wäre seltsam tautologisch».

42 Plura exempla apud SCHWYZER, *art. c.* 516, 60ss.

43 De hoc genetivo nuperrime J. S. LASSO DE LA VEGA, *Sintaxis Griega*, t. I. Madrid 1968, p. 467.

τῶς ἐμῆς σέβας *Pr.* 1091). Sensus est: "*Miraculum illud Unius, Intellectu prius etc.*".

2.º In altera parte ὃ μὴ ὄν ἐστίν, emendare ausim ὄν in ἔν (accipiendo orationem relativam ut *concessivam*, ut mox dicam): "*Miraculum illud Unius, Intellectu prius, quamquam non est unum*". Quam emendationem, qua reverentia Codices prosequor, ipsemet qui emendo aegerrime fero. Sed invitus cogor. Plotinus paradoxum hoc aucupatur: 'Unum non est *unum*', sc. unitas non praedicatur de Uno ut attributum, "*ne etiam hic* (sc. etiam in illo Miraculo Unius) '*unum*' de alio (sc. de subiecto diverso ab attributo) *praedicetur*". Secus, lectione Codicum servata, neque ratio addita ἕνα μὴ καὶ ἐνταῦθα κατ'ἄλλου τὸ ἔν magni refert, et gradatio ipsa καὶ ἐνταῦθα vix intelligibilis. Nam cum paulo ante iam Plotinus commemoraverit Unum quibusvis entibus atque etiam Entium pretiosissimo Intellectui praecellere, vix ad rem attinet, novo argumento iam inito, iterum subiungere Unum non esse ens: immo gradatio ipsa sensu caret: «Unum non est ens, ne *etiam hic* (sc. *etiam in Eo qui est supra Ens*) unum praedicetur de alio».

Haec, quam coniectavi, emendatio mirum quantum cohaerere mihi videtur et cum oratione relativa proxime subsequente (lin. 31) et cum tota paragrapho. Cum oratione relativa proxima subsequente: "*cui nullum nomen verissime conveniat*". Illico gradatio ob oculos versatur: in oratione relativa priore Plotinus dixerat '*unum*' Uni minime convenire ut *attributum*; in altera ait nullum omnino *nomen* Ei convenire, i. e. ne nomen quidem '*Unum*'. Cohaeret cum tota paragrapho, cuius haec summa est (lin. 29-42): quamquam '*unum*' Uni neque ut *attributum* neque ut *nomen* convenit, tamen quandoquidem nominandum est, nominatur a nobis '*Unum*', hoc nomine prae ceteris unitatem Illius innuente.

31-32 εἴπερ δὲ δεῖ ὀνομάσαι.

Hanc minusculam oratiunculam, veluti Ianum illum, iure *bifrontem* dicas. Partim enim respicit ad praecedentia, partim prospicit ad subsequenta. Per particulam δὲ retro respicit; per coniunctionem autem εἴπερ protasim ineundo, porro prospicit. Per illam particulam respondet geminis orationibus relativis praecedentibus, praesertim posteriori, ut vel series ipsa

particularum testatur ὃ ὄνομα μὲν... εἴπερ δὲ δεῖ κτλ.). Iam cohaerentia logica postulare videtur ut ambabus orationibus relativis sensus *concessivus* conferatur. Ita enim omnia fluunt quam cohaerentissime: "*Miraculum illud Unius, Intellectu prius, quamquam non est 'unum'..., quamquam nomen quidem nullum Ei verissime convenit, quoniam tamen nominandum est etc.*"⁴⁴. Huic respondet apodosis in lin. 38ss., mutato interea subiecto: ὀνομάζομεν ἔν κτλ.

32-33 κοινῶς ἂν λεχθὲν προσηκόντως ἔν, οὐχ ὡς ἄλλο εἶτα ἔν κτλ.

Oratio plotiniana, quae adhuc non solum cohaerenter, verum etiam iugi continuoque cursu defluerat, ecce tibi hoc loco, hoc ipso puncto temporis varios gyros incipit agere. Quos singillatim perlustrare iuvat. In hoc difficillimo, in quem nunc incidimus, loco interpretando auctores hoc mihi videntur habere commune, quod *apodosim* credunt ad orationem praecedentem⁴⁵: «...quoniam tamen nominandum est, unum dici possit etc.». Attamen ad hunc sensum assequendum, perneceesse tibi erit ut aut post λεχθὲν mente subaudias <εἴη> (id quod Cilento in *Commentariis* titubanter suspicabatur: quae quidem periphrasis a Plotini stilo minime abhorret⁴⁶, sed *cum ellipsi* duriuscula videtur) aut textum corrigas (sc. λεχθὲν in λεχθεῖη) cum Vitringa, Volkmann, Bréhier, Cilento.

Ego vero neque textum emendandum esse crediderim, neque quicquam ne mente quidem supplendum, neque vero orationem illam in apodosi positam, *sed participium* λεχθὲν *munere fungi antecedentis orationis condicionalis* ita ut λεχθὲν = εἰ λεχθεῖη Rem totam accuratius explanabo *ex breviloquentia*

44 Particula latina '*quidem*' simili sensu *concessivo* persaepe gaudet.

45. Ita iam FICINUS: «Sin autem nominare cogamur, commun (sic) quidem appellatione unum commode appellatur». BOUILLET: «S'il faut cependant le nommer, on peut convenablement l'appeler en général l'Un». MACKENNA-PAGE: «...but since name it we must there is a certain rough fitness in designating it as a unity...». BRÉHIER: «pourtant, puisqu'il faut le nommer, il convient de l'appeler l'Un». CILENTO: «ma dal momento che è inevitabile dargli un nome, Egli potrebbe pure esser volgarmente detto, con certa qual convenienza, 'Uno'». HARDER: «wenn mans aber benennen muss so wird man es passend gemeinhim das Eine nennen».

46. Cf. SCHWYZER, *art. c.*, 514, 2-12. Utrum HARDER quicquam mente supplendum censuerit, mihi quidem ex eius annotationibus minime perspicuum est (*Anmerk.* 35-37 5, 29-30). Certe textum Codicum retinet atque parenthesisibus includit ab ὃ μὴ ὄν... ad εἶτα ἔν, ut ego opinor, parum recte. Orationem ipsam, in qua nunc versamur, in apodosi vertit: «...so wird man es passend gemeinhim das Eine nennen», ita ut colligere liceat eam vel εἴη vel aliud quicquam simile mente suppluisse.

plotiniana. Quippe Plotino scribenti haec rerum consecutio in mente versabatur: ...εἴπερ δὲ δεῖ ὀνομάσαι <κοινῶς ἂν λεχθεῖη ἔν, εἰ προσηκόντως ἔν λεχθεῖη> Λεχθέν δὲ προσηκόντως ἔν, οὐχ ὡς ἄλλο εἶτα ἔν, χαλεπὸν μὲν... γινωσκόμενον δὲ... *quoniam tamen nominandum est, <'Unum' communi quidem nomine nuncupari possit, si rite 'Unum' nuncupetur>. 'Unum' autem rite nuncupatum, non ut aliud quid, deinde 'Unum', difficile quidem... cognitum tamen...*". Quam rerum consecutionem cum ante oculos haberet, tamen brevilloquentiae studiosissimus citatoque mentis cursu raptus, orationem integram condicionalem (quam uncis acutis inclusi quaeque in apodosi est ad εἴπερ δὲ δεῖ ὀνομάσαι) omisit, rectius dicam, non omisit sed in unam cum protasi subsequente conflavit. Itaque accipio κοινῶς ἂν λεχθέν = εἰ κοινῶς ἂν λεχθεῖη i. e. ut antecedens orationis condicionalis, cui respondeat in apodosi consequens idque *bimembre*, particulis distinctum: χαλεπὸν μὲν... γινωσκόμενον δὲ... Sed per transpositionem ipsam particulae modalis ἂν ad illud antecedens κοινῶς ἂν λεχθέν) Plotinus satis aperte significavit κοινῶς se habere vicissim ad προσηκόντως ut consequens ad antecedens: "si 'Unum' communi sane nomine nuncupetur (id quod non absurde fieri possit, si rite 'Unum' nuncupetur, sc. si non aliud quid, deinde 'Unum')..."⁴⁷.

Accipio κοινῶς ut oppositum non tam ad χωρίως quam ad ἰδίως⁴⁸, verba autem οὐχ ὡς ἄλλο εἶτα ἔν, ut epexegetica ad προσηκόντως⁴⁹.

47 De tali transpositione, quae nonnusquam apud auctores graecos occurrit, cf. SCHWYZER-DEBRUNNER, *Griechische Grammatik* II, p. 685, *ad finem*, cum exemplis ibidem allatis. De significatione autem talis transpositionis cf. *ibidem*: «in solchen Beispielen betont ἂν, dass, die Verwirklichung 'unter Umständen' möglich sein könnte...». Profecto in nostro textu antecedens «si Illud Miraculum *communi nomine* (κοινῶς) 'Unum' nuncupetur», perabsurdum videri poterat. Qui enim fieri potest ut *singularem* Illam Naturam summeque transcendentem *communi* nomine designes? Id quod Plotinus animo providens, particulam modalem adiunxit, qua illud significaret, *certis conditionibus* nuncupationem illam, quantumvis communem, haud adeo absurdam fore, nempe si nomen, licet commune, *rite* adhibeatur, i. e. non quasi primum aliud quiddam, deinde 'Unum'. Itaque accipio προσηκόντως ut epexegeticum ad ἂν et οὐχ ὡς ἄλλο εἶτα ἔν ut epexegeticum ad προσηκόντως.

48 Auctores varie reddunt vim adverbi κοινῶς. Vide notam 45. FICINUS recte «communi appellatione». BOUILLET: «en général», vix recte. MACKENNA-PAGE «rough». BRÉHIER omittit. CILENTO: «volgarmente». HARDER (qui in notis opponit ad χωρίως): «gemeinhin» (id quod in annotatione ad locum explicat: 'im üblichen, ungenauen Sprachgebrauch'). Meo quidem iudicio sensus haud dubie debet esse "*communi nomine*", quippe quod de omnibus entibus praedicari possit, id quod Plotinus ubertim toto capite primo monstravit. Hinc fit ut, cum *nomen ipsum commune* sit, *ratio* nuncupandi debeat esse *singularis*.

49 Ergo sensus non est: «convenienter nominari potest, si 'Unum' nomi-

In priore membro consequentis (*"est quidem difficile cognitu ob eam causam"*), verba haec *"ob eam causam"* διὰ τοῦτο quorsum spectent, iam liquet. Respiciunt enim ad singularem illam rationem qua Unum 'Unum' nuncupamus. Nam quo nomine nominatim nominamus, *notionem* per idem nomen expressam Ei nequaquam attribuimus, ita ut quo nomine nominetur per idem nullatenus pernoscatur, vel dicam potius (ne per illud 'nullatenus' longius quam Plotinus processisse videar), per idem *haud facile* pernoscatur, arcano Eius vultu per nomen quasi per cancellos dumtaxat dispecto vel quasi per membranam translucente.

At ne quisquam putet nomen illud frustra a nobis tamquam vocem inanem usurpari ad designandum Unum, Plotinus festinat ostendere tale nomen, quantumvis opacum ad vultum Eius transpiciendum, esse nihilo minus necessarium. Id quod assequitur et per alterum membrum consequentis, adiuncta velut appendice digressiuncula (lin. 35-38), et per apodosim principalem. Ad quae iam confestim transvehimur.

38-39 ὀνομάζομεν ἐν ἐξ ἀνάγκης *"...necessario nominatur a nobis 'Unum' etc."*.

Hactenus Plotinus, commemorata necessitate nominandi Miraculum illud Unius (*"quoniam nominandum est"*), prope-ravit ex *hypothesi* proficisci (*"si nuncupetur 'Unum'..."*) ut videret quid inde consequeretur. Primum consecrarium videbatur infausta ominari atque hypothesi refragari (*"est quidem difficile cognitu ob eam causam"*). Attamen paucis post lineolis (38ss.) Plotinus credit se posse tuto ac secure concludere: *"necessario nominatur a nobis 'Unum' etc."*. Cur? Ratio petenda est haud dubie ex lin. 34: *"cognitum tamen (sc. a nobis) per Essentiam, progeniem Eius potius quem per Se Ipsum etc."*. Non est difficile nexum logicum dignoscere: Miraculum illud Unius non tam cognoscitur ex Se Ipso quam ex Essentia, eius sobole, vultum Parentis quodammodo referente. Essentia tamen imaginem Genitoris partim reddit partim ob insitam sibi

netur» (ut videntur interpretes intellexisse, cf. notam 45), sed: «'Unum' nominari potest, si convenienter nominetur», i. e. *dummodo nomen illud 'Unum' convenienter adhibeatur de Illo: «si 'Unum' nuncupetur, communi sane, at convenienter adhibito nomine».*

duitatem deturpat. Hinc necessario *nomine Unius* utimur, non quod imaginem Illius perfecte referat, sed quod effigiem Illius e cognitione Essentiae in mentibus expressam ad unitatem simplicissimam *dirigat*.

Ex dictis credo me iam posse concludere: 1.º participium *γεννωσκόμενον* (lin. 34) esse *causale* itemque in accusativo ab *ονομάζομεν* pendente⁵⁰; 2.º idem participium per particulam δὲ retro respicere (ad *χαλεπόν*), sed, utpote causalem, novam protasim inire: "*quoniam tamen cognoscitur a nobis potius ex Essentia, Eius progenie, quam ex Se Ipso, ...idcirco necessario a nobis 'Unum' nominatur etc.*"; 3.º *ονομάζομεν* κτλ. respondere in apodosi et ad εἴπερ δὲ δεῖ *ονομάσαι* (31-32) et ad *γεννωσκόμενον*.

39-40 τῷ σημαίνειν ἀλλήλοις αὐτὴν τῷ ὀνόματι εἰς ἔννοιαν ἀμέριστον ἄγοντες.

Accipio hanc orationem participii ut explicativam praecedentium *ονομάζομεν* ἐν ἐξ ἀνάγκης. Participium praesens ἄγοντες est *conativum*: "*dum conamur adducere*". Sed in ancipiti est utrum ἀμέριστον referendum sit ad ἔννοιαν ("*dum conamur Eam ad notionem indivisam adducere*") an ad αὐτὴν ("*dum conamur Eam indivisam ad notionem adducere*")⁵¹. Utrumcumque id est, e sensu *conativo* participii, sed praecipue e consecutione logica argumenti videtur mihi iam clare elucere vis dativi τῷ σημαίνειν sc. non tam finalis⁵² quam *instrumentalis*. Vicissim τῷ ὀνόματι est dativus *instrumentalis* quoque, sed priori subordinatus: conamur ad notionem... adducere *significando*, sed significamus *ope nominis*. Hinc iam quam sit innecessarium emendare τῷ σημαίνειν non est necesse commemorare⁵³.

50 Itaque mutatio subiecti intercessit: accipio τὸ δὴ πρὸ τούτου *θαβμα* (lin. 29s.) in nominativo.

51 HARDER (*Anmerk.* 37 5, 39) accipit ἀμέριστον in sensu ἀμερίστου. Itaque vertit: «...auf die Vorstellung des Ungeteilten».

52 Ita fortasse FICINUS: «optantes videlicet primam omnium naturam ipso nomine inter nos designare». Comp. BOUILLET: «...c'est pour nous le désigner les uns aux autres...». CILENTO: «...per additarcela, vicendevolmente...». BRÉHIER: «...pour nous le désigner l'un à l'autre...».

53 HARDER emendans in genetivum, iungit cum ἐξ ἀνάγκης: *ονομάζομεν ἐν, ἐξ ἀνάγκης τοῦ σημαίνειν κτλ.* «wir nennen es das Eine, notgedrungen, weil wir es einander bezeichnen müssen...». Cui emendationi in *Annotationibus* (*Anmerk.* 37 5, 39) patrocinans, arguit eam tutam reddi per V 8.12.25 *χρηστέον γὰρ τούτοις τοῖς ὀνόμασι τῇ τοῦ σημαίνειν ἐθέλειν ἀνάγκη*. Sed, tametsi non infitior inter V 8.12.25

35 καὶ ἄγει εἰς οὐσίαν νοῦς κτλ.

Haec verba, in ipso digressiunculae limine, alii cum Codicibus servant⁵⁴; alii emendant νοῦς in νοῦν⁵⁵, alii hunc locum vel lacunosum vel corruptum censent⁵⁶. Emendationi a Vitringa propositae duobus argumentis suffragabor:

1.º in serie καὶ ἄγει εἰς οὐσίαν νοῦς καὶ αὐτοῦ ἢ φύσις κτλ. grammatica spectata, αὐτοῦ necessario referretur ad νοῦς. Atqui manifestum est referri ad Unum. Ergo subiectum ad ἄγει nequit esse νοῦς sed, id quod per emendationem obtinetur, τὸ δὲ πρὸ τούτου θαῦμα τοῦ ἐν, facile subaudiendum e toto contextu. De Eo enim toto hoc loco sermo est.

2.º Plotinus modo dixerat in linea praecedente Unum non tam cognosci per Se Ipsum quam per Essentiam, progeniem Eius. Itaque duo affirmarat de Uno, et causalitatem Eius generatricem Essentiae, et Eius transcendentiam. Haec eadem duo enucleantur iam in digressiuncula (lin. 35-38). Unum generat Essentiam quia "*perducit Intellectum* (sc. Intellectum incohatum, imperfecte genitum) *ad Essentiam*", Eum semel a Se generatum perficiendo. Comp. V 1.7.16-17, ubi de eodem Intellectu dicitur καὶ τελειοῦται εἰς οὐσίαν παρ'ἐκείνου καὶ ἐξ ἐκείνου.

Versionem continuam totius huiusce loci (lin. 29-40), omisa digressione, adiungo⁵⁷:

"Ergo Miraculum illud Unius, Intellectu prius, quamquam non est unum, ne etiam in Eo unum de subiecto diverso praedicetur; quamquam nomen quidem nullum Ei verissime convenit; tamen, siquidem nominandum est, si nuncupetur 'Unum' communi sane, at convenienter adhibito nomine, non quasi aliud deinde unum, est quidem: ob eam causam difficile cognitu; quoniam tamen cognoscitur a nobis per Essentiam, progeniem Eius, potius quam per Se Ipsum, necessario nominatur

et nostrum locum parallelismum aliquatenus intercedere (*aliquatenus*, inquam: in V 8.12.25 enim neque τοῦ regit σημαίνειν, sed ἐθέλειν, neque ibi agitur de necessitate nominandi Unum), tamen *quatenus* parallelismus intercedat, dirimi nequit *a priori* sine petitione principii.

54 Ex interpretibus cf. FICINUM: «nempe in essentiam intellectus adducit», BOUILLET: «parce que l'intelligence conduit à l'Essence», CILENTO: «ed è lo Spirito che adduce all'essere». CREUZER quoque stat Codicibus.

55 VITRINGA, VOLKMANN, BRÉRIER.

56 Lacunosum KIRCHHOFF, corruptum HARDER.

57 Oratio procedit continuo tractu (neque enim rumpitur per digressionem sed interruptitur), sola mutatione subiecti, quam in mea versione sustuli.

a nobis 'Unum', dum conamur eam Naturam invicem ope nominis significando indivisam ad notionem adducere''.

5.42 τὸ γὰρ οὕτως ἐν ποσοῦ ἀρχαί.

Auctores vix non omnes immerito emendant ἀρχαί in ἀρχή. Sensus enim huius sententiae, ut ex immediate praecedentibus verbis perspicuum est, ita glossari debet: τὸ γὰρ οὕτως ἐν ὡς σημείον ἢ μυνάς ποσοῦ ἀρχαί. Itaque οὕτως est instar ponticuli subiectum singulare cum praedicato plurali iungentis. Plotinus enim cogitat de puncto geometrico et de unitate numerica tamquam geminis quantitatis principiis. Sed quoniam *dualis* nullus usus apud Plotinum, pluralis numerus adhibetur pro duali⁵⁸.

6.14-15 ἢ θεὸν ἂν αὐτὸν ἐφαντάσθης εἰς τὸ ἐνικώτερον τῆς σῆς νοήσεως εἶναι.

In tam obscuro loco perdifficile est dispicere quid scripserit Plotinus quidve significare voluerit. Cilento sane textum servat, sed ita vertit ut vix textum graecum agnoscas: «...o si tu vuoi rappresentarti Iddio in persona, tu devi essere rivolto verso un valore che è ben più unitario del tuo pensiero». Immo in commentario titubat: agnoscens locum esse forte *turbatum*, censet tamen praestare Codicibus stare; mox conicit inserendum esse <δεῖ σε> inter ἐφαντάσθης et εἰς. Creuzer quoque textum traditum retinet seiungens hanc sententiam a praecedente per punctum elatum. Sed versionem Ficinianam editionis Parisinae vix affirmare audeas cum textu graeco cohaerere: «...tunc quoque hanc abs te excogitatam simplicitate superat unitatem. Tu siquidem ad summam tuae intelligentitiae unitatem illum pro viribus redigebas: ille vero supra modum superat, etc.». Alii alias emendationes excogitaverunt. Kirchhoff comparativum ἐνικώτερον in superlativum mutavit. Vitringa, Volkmann, Bréhier immitius aequo textum tractaverunt ut non tam sanasse quam discerpisse credas⁵⁹. Seidel multo lenius emendavit εἰς τὸ in ὥστε. Qua coniectura admissa, Goll-

58 Cf. SCHWYZER, *art. c.*, 513, 23ss. de duali apud Plotinum.

59 VITRINGA legit...πλέον ἐστὶν ἢ θεός, ἐὰν αὐτὸν φαντασθῆς ἐνικώτατον τῆς σῆς νοήσεως εἶναι. VOLKMANN, quem sequitur BRÉHIER: ...πλέον ἐστὶν ἢ θεος, ἂν αὐτὸν φαντασθῆς ἐνικώτερον τῆς σῆς νοήσεως εἶναι.

witzer novam ipse addidit legens ὄσον pro θεόν (quam coniecturam accipiunt Henry-Schwyzler t. II p. 474 in apparatu). Harder solam vocem θεόν corruptam censens, eam in textu cruce signat, in versione autem omittit: «...so ist er auch dann mehr Eines als... (?) du es dir vorstelltest: er ist einheitlicher als dein Denkvermögen».

Quoniam de singulis coniecturis interpretationibusque disputare perlongum erat, ego meam ipse proponam. Iudicium lectori benevolo committo. Totam hanc sententiam a praecedente per punctum separaverim; praeterea particulam modalem ἄν in adverbium iterativum αὖ immutaverim (qua emendatione indolem *irrealem* orationis, quae perspicuitati cum primis officere videtur, e medio sustulimus), cetera intacta reliquerim: ...καὶ ἐνταῦθα πλέον ἐστίν. Ἡ θεὸν οὐ αὐτὸν ἐφαντάσθης κτλ. Accipio ἦ ut saepe apud Plotinum, tamquam particulam *introducivam* eanque *correctivam*⁶⁰, 'immo', αὐτὸν ut obiectum, θεόν ut praedicatum, εἰς τὸ... εἶναι ut orationem *finale* atque *intentionalem*⁶¹. "Immo ecce iterum Eum tibi imaginatus es deum, ea intentione, ut esset magis unus quam cogitasses". Oratio finalis indicat quid *intenderis*: voluisti Eum mente magis adunare quam cum primo conamine primum Unum cum Intellectu vel cum Deo aequasti⁶². Oratio indicativi ostendit quid *effeceris*: nihil egisti, nihilo longius ne unguem quidem progressus est, quam cum primo tentamine Eum velut Deum imaginabare. Ecce iterum tibi velut Deum imaginatus es. Itaque adverbium iterativum, quod loco particulae modalis suffeci apprime resonat ad αὖ (lin. 13) et ad καὶ ἐνταῦθα (*ib.*).

Videtur mihi Plotinus toto hoc loco (lin. 12-16) cum Aristotelico iocari Primum Unum cum Primo Ente (comp. 2.3-8) cumque Deo vel Intellectu sui intelligente exaequante. Deliras—inquit—, nihil agis, si arbitrere te posse, *duitatē divinam* tuam seu *intellectionem intellectionis* quantumvis mente adunando, infinitam Unius potentiam comprehendere. Iterum iterumque plus Ille est, ipsa *Unitas* est, *unionem* omnem trans-

60 Cf. BONITZ, *Index Aristotelicus*, 312b 57-313a 26 (praes. 313a 25-26).

61 Cf. vgr. P. F. M. ABEL, *Grammaire du Grec Biblique*, Paris 1927, cum exemplis allatis (pp. 314-315) non solum ex auctoribus biblicis. Comp. Porphyrii *Vitam Plotini* 4.20-21. *Enn.* II 1.7.4.1.

62 Accipio ἐνικώτερον τῆς σῆς νοήσεως = ἐνικώτερον ἢ ἐνοήθης (sc. ὅτε αὐτὸν οἶον νοῦν ἢ θεὸν ἐνοήθης)

cendens. Sicuti enim (id enim mihi videtur insinuare Plotinus *Aristotelico*) linea ita proxima est puncto ut nihil propius, tamen lineam usque secando lineam usque obtinebis, numquam punctum, ita quoque Deus tuus ita proximus Uni est ut nihil propius; tamen Deum usque mente adunando Deum usque obtinebis, numquam Unum. In infinitum progrediere.

6.18-19 πᾶν δὲ πολὺ καὶ μὴ ἓν ἐνδεὲς μὴ ἓν ἐκ πολλῶν γενόμενον.

Hunc locum, qui auctoribus non paucis negotium facessat, persuasum mihi est iam Gollwitzer egregie salvoque ~~textu~~ tradito enodasse. Quam ego interpretationem, quae aliis minus placuisse videatur, renovare eique pro meis viribus auxilio venire exopto⁶³. Orationem participii μὴ ἓν ἐκ πολλῶν γενόμενον accipio ut relativam temporalem aequae valentem atque ἕως (vel ὁ τι) ἂν μὴ ἓν ἐκ πολλῶν γένηται. Gollwitzer: «solange es nicht aus der Vielheit zur Einheit geworden ist». Itaque negatio afficit participium, ἓν ἐκ πολλῶν est praedicatum.

«At enim (obiecerit quispiam), re ita intellecta, Plotinus nullo negotio ad absurdum reduci possit. Si enim, quidquid multiplex est neque unum, deficiens est quamdiu unum non fuerit factum, necessario sequitur, ubi primum unitatem nactum fuerit, deficiens ultra non fore, cum tamen quod multiplex est essentialiter deficiens sit, teste ipso Plotino continuo adiungente *essentiam multiplicis unitate indigere*»⁶⁴. Hanc tamen obiectionem speciosiore quam veriore dicere ausim. Distinctione opus est. Etenim multiplex eatenus deficit quatenus unitate caret; quare, unitate obtenta, *eatenus* non deficit, *de facto* non deficit⁶⁵. Quoniam tamen multiplex unitatem, quam est nactum, non ex se sed aliunde accepit, sequitur ex essentia sua deficere, ex essentia sua, etiam obtenta unitate, unitatis indigere. Iure ergo Plotinus concludit δέϊται οὖν αὐτοῦ ἡ οὐσία ἓν εἶναι⁶⁶, sicuti et mundus, alieno lumine illu-

63 Gollwitzerianam interpretationem novi ex CILENTO (*Comm. ad locum*) et ex HARDER (*Anmerk.* 41 6, 19), qui eam impugnat.

64 Comp. HARDER *l. c.*: «allein das ist sachlich nicht denkbar; was erst aus der Vielheit Einheit geworden ist, ist nicht wahrhaft Eines und daher bedürftig».

65 Adde, confirmationis causa, iuxta Plotinum quidquid deficiat, id quo deficiat acquirere (lin. 26-37). Atqui perabsurdum est, ubi semel id quo deficiat repereris, acquirere perstare nisi forte in posterum retinere. Comp. doctrinam platoniam de amore ratiocinationi plotiniana, ut mihi quidem videtur, subiacentem (*Symp.* 199, c 3-201 c 9).

66 Comp. doctrinam plotinianam de unitate animae (1.20-43), nempe ani-

minatus, lumine quidem non caret, sed *proprio* lumine caret
δεόμενος... οίκειου φωτός... IV 3.17.15).

7.4-5 ἀλλ' ἔστι τῷ δυναμένῳ θιγεῖν ἐκεῖ παρόν.

Accipio ἐκεῖ hoc loco, ut saepe graece⁶⁷, pro ἐκείσε *Illuc*,
θιγεῖν autem sensu *locali*⁶⁸, ut latine *attingere cum accusativo
termini*⁶⁹. Sensus est: "quisquis *Regionem Illam attingere po-
test, ei praesens adest*". *Regionem Illam intellego Regionem
ultraintelligibilem*. Continuo enim (lin. 5ss.) sermo fit de ne-
cessitate exuendi non solum sensibilia verum etiam intelli-
gibilia. Itaque nihil necesse est ἐκεῖ in ἐκείνο cum Kirchhoff,
Volkman, Bréhier emendare, neque cum Harder corruptum
censere, neque cum Cilento ad παρόν referre: «ma a chi riesce
a toccarlo Egli è lí presente»⁷¹.

8.1 τὸν ἄλλον χρόνον

Auctores varie hunc locum reddunt. Ficinus: «alio quodam
tempore», Bouillet: «dans un autre temps», McKenna-Page «its
history», Bréhier omittit vertere, Cilento: «in qualche altra
stagione di vita», Harder: «sonst», id quod ipse ita commen-
tatur: «Gemeint ist der Gegensatz zwischen dem entscheidenden
Augenblick der Erhebung und dem gewöhnlichen, uner-
weckten Seelenzustand».

Verus sensus illorum verborum eruendus est, ni fallor, e
praecedentibus lineolis (7.28-34), ubi Plotinus ait animam
quandoque extra se divagari atque oberrare foras, quasi amen-
tem filium suique oblitum. Ergo «reliquo tempore» idem est
atque «quamdiu anima non peregrinatur foras sed domi intra
se degit, sui compos suique conscia».

8.11-16

Locum arcanum attigimus; ad quem curiosis oculis inspi-
ciendum quam proxime accedamus oportet, si qua rimantibus
verus sensus diluceat.

mam, cum ex essentia sua non sit una, tamen adeo, unitatis semel potitam,
unitate non deficere ut etiam corporibus eam suppeditet.

67 LSJ s.v. II.

68 Anglice 'to reach', quo sensu nonnusquam in poësi apparet cum dativo
termini (LSJ s.v. II 3).

69 LEWIS and SHORT s.v. B 4.

70 Locum perdifficilem huiusce capituli (lin. 27) luculenter enodavit
J. C. M. v. WINDEN, *A Crucial Passage in Plotinus, Enn. VI 9, 7* (Mnemosyne
XV 1962, p. 173).

11-12 ἢ ἄλλο τι δεῖ νομίσαι, εἰς ὃ πάντα οἶον κέντρα συμπίπτει κτλ.

Per haec verba Plotinus sibimet ipsi respondet sciscitanti (lin. 10s.) "*an illud animae quasi centrum aequandum sit cum hoc quod investigemus*" (i. e. cum Uno, cuius Naturam iam ab ineunte capite tertio indagamus, 3.1 Τί ἂν οὖν εἴη τὸ ἔν καὶ τίνα φύσιν ἔχον;) Responsum Plotini interpretes ita reddunt quasi Plotinus responderit *negative* vel *diuinctive* vel *corrective*. Ficinus: «Sed profecto aliud quiddam esse censendum, in quod omnia quasi centra concurrunt». Bouillet: «ou bien faut-il concevoir un autre principe vers lequel tous les centres concourent?». MacKenna-Page: «We must look yet further: we must admit a Principle in which all these centres coincide». Bréhier: «Ne faut-il pas croire que c'est autre chose, le point où coïncident tous ces centres...?». Cilento: «Oppure occorre pensare a qualcosa d'altro, a qualcosa cioè in cui tutti i cosiddetti centri coincidono...?». Harder: «Oder ist nicht vielmehr anzunehmen dass es noch etwas anderes sei und zwar etwas worin alle 'Mittelpunkte' zusammenfallen...?».

Mihi vero persuasum est responsum Plotini esse prorsus *affirmativum*, sententiam ipsam *ellipticam* esse, orationem autem relativam εἰς ὃ... συμπίπτει *causalem*. Sententiam totam ita glossaverim uncis acutis includendo quae Plotinus lectori supplenda relinquat (supplenda videlicet ex ipsa percontatione lin. 10-11): ἢ ἄλλο τι δεῖ νομίσαι <ἢ ὅτι τὸ τῆς ψυχῆς οἶον κέντρον τοῦτό ἐστι τὸ ζητούμενον>, εἰς ὃ πάντα οἶον κέντρα συμπίπτει κτλ. "*An aliud quicquam censendum est* (sc. nisi animae illud quasi centrum idem esse atque hoc quod investigemus), *cum in idem omnia quasi centra coincidunt?*".

Rem ita esse interpretandam nonnullis argumentis fulcire propro:

1.º Plotinus manifesto arguit *ex universali ad particulare*: in Unum quasi in centrum universale omnium rerum quasi centra coincidunt. Ergo etiam animae quasi centrum in Illud coincidit. Plotinus enim fingit sibi (lin. 20-22) universum instar sphaerae caelestis, omnibus astrorum orbibus in unum centrum convergentibus. Itaque Plotinus ita respondet quasi percontanti cuiquam an terra sit centrum solis respondeas geo-

centricae doctrinae credens: «An aliud quicquam censendum est, cum in terram omnium astrorum centra coincidunt?».

2.º In responso ita *affirmative* intellecto «Unum esse quasi centrum animae», re quidem vera *duo* continentur pro diversa emphasi: «Unum esse quasi *centrum* animae», et «Unum esse *quasi* centrum animae». Iam «Unum esse quasi *centrum* animae Plotinus explicat per primum membrum responsi prout ego intellexi: «An aliud quicquam censendum est nisi...»; «Unum esse *quasi* centrum animae» Plotinus explicat per alterum membrum responsi: καὶ ὅτι ἀναλογία (sc. analogice dumtaxat, ut recte Harder). ...

3.º Illud καὶ ὅτι quod secus pensile quasi in aëre fluitet, in hac nostra interpretatione cohaerenter coordinatur cum priore <ἢ ὅτι...> non quidem explicito, sed certe subaudiendo.

12-13 καὶ ὅτι ἀναλογία τοῦ κέντρου τοῦδε τοῦ κύκλου κτλ.

En alterum membrum responsi, ellipticum et ipsum, utraque ellipsi cohaerenter consequente: "An aliud quicquam censendum est (sc. nisi illud animae quasi centrum esse idem atque hoc quod investigemus) ...et (sc. illud animae quasi centrum esse idem atque hoc quod investigemus) *per analogiam* (sc. dumtaxat) *cum centro huiusce* (=sensibilis) *circuli?*". Id quod continuo demonstrat (animadvertite particulam γάρ) ostendens animam ipsam non esse circulum nisi analogice. Sed hoc ipsum animam esse orbicularem *ratione dumtaxat analogica* ostendit rationem reddendo *cur* anima possit dici orbicularis. Animadvertite enim transitum ex adverbiiis modalibus (lin. 13) ὅτω... ὡς ad *coniunctionem causalem* ὅτι (lin. 14s.). Iam de *natura* seu *indole* orbiculari animae Plotinus *duas* rationes affert, unam quam *descriptivam*, alteram quam *geneticam* appellaverim⁷¹. Utramque seorsim inspiciamus.

71 Circularitas in anima, iuxta Plotinum, alia est *naturae*, alia *activitatis*. Per illam, quamdiu sumus, Unum circumstamus, licet aliorum spectemus (8.42-42), *eaque sublata, prorsus esse desinimus* (λύσις παντελής). per hanc Unum non solum circumstamus verum etiam intuemur, divino instinctu circumsal-

14-15 ἀλλ' ὅτι ἐν αὐτῇ καὶ περὶ αὐτῆν ἡ "ἀρχαία φύσις" κτλ.

Habes rationem *descriptivam*, in qua explananda tria nobis examinanda erunt: primum "*antiqua natura*" quaenam dici debeat, deinde quid sit illud "*in anima circumque animam "antiquam naturam" versari*", denique quid haec attineant ad *circularem animae naturam*.

Quod ad primam quaestionem spectat, Bouillet, quem Harder sectatur, "*antiquam naturam*" interpretatur *materiem*, eo loco *Enneadum* innixus ⁷², ubi Plotinus de materie disputans platonicumque *Politicum* respiciens ⁷³, materiem ipsam "*antiquam naturam*" nuncupat. Haec tamen interpretatio vix tibi probata videri possit si animadvertas hoc nostro loco sermonem fieri non de materie sed *de anima*. Quo circa multo verisimilius est, ne dicam certissimum, Plotino illa verba scribenti ante oculos fuisse celeberrimum illum *Rei Publicae* platonicae locum, ubi Plato *verissimam animae naturam* investigans eaque ab hac corpore concretam distinguens "*antiquam naturam*" his ipsis verbis appellat eandemque duobus quasi lineamentis depingit, *cognatione* seu *syngenia* et *philosophia* seu *Intelligibilium amore* ⁷⁴.

Ergo "*antiqua natura*" hoc nostro loco nulla alia dici debet nisi *intellectus*, non Ille quidem transcendens, sed hic animae insitus atque ab Intellectu transcendente in anima impresus ⁷⁵; anima, inquam, intellectiva, quam Plotinus perapposite formula platonica "*antiquam naturam*" nominat, cum prior generata ipsa vicissim inferiorem animam genuerit ⁷⁶.

"*Antiquam autem naturam*" in anima circumque animam versari, id nihil est nisi *totum animae quasi circuitum intellectu occupatum teneri*, 'rationibus intellectivis' ab Intellectu transcendente in omnes eius quasi plagas imas medias exti-

tantes concinneque canentes (8.43-45), ac tunc potissimum ad Eum vergimus (9.11-12) mirisque gyris circa Eum quasi centrum versamur (8.2-4); hac sublata, non esse quidem desinimus, sed activitas *frangitur* atque ex intellectiva fit sensibilis ac *rectilinea* (*ib.*), dii esse desinimus ac gregarii efficimur (8.6-10), sumus dumtaxat (9.12).

⁷² I 8.7.6.

⁷³ 273b 4-5.

⁷⁴ X 611b 9-612a 6. Imaginem ipsam platonicam animae ponto mersae (611d-e) videtur Plotinus non transcripsisse quidem, at certe accommodasse (comp. Platonis ἐν ᾧ νόον ἔσταιν e 5 cum Plotini Νῶν δὲ 16).

⁷⁵ V 9.3.33-35.

⁷⁶ V 2.1.18-21; IV 1.14-17.

mas uberrime confluentibus⁷⁷. Anima autem ipsa quasi orbiculatim circumscripta dici potest propterea quod sicuti et Intellectus ipse, cuius imaginem refert⁷⁸, est simul *una et multiplex*, est quasi *universus*, plurimis veluti radiis ex Uno quasi centro in Intellectum quoquoersus emanantibus atque inde in animam superiorem tamquam in novum exterioremque orbem circumcirca propagatis⁷⁹.

15 καὶ ὅτι ἀπὸ τοιοῦτου.

Habes rationem *geneticam*: "et quia a tali". Haec verba perquam aenigmatica, quae auctores alii aliter reddunt⁸⁰, aequae valent atque "et quia a Circulo procedit". Anima est circulus (de hoc enim agitur) quia a *tali* i. e. a *Circulo* procedit, Plotino ita Intellectum transcendentem, animae Genitorem designante⁸¹, quem creberrimo hac notissima analogia passim

77 III 5.8-9 (Intellectus imago depingitur animam *rationibus intellectivis* ditissime locupletantis); III 8.5.10-11 (Anima *rationativa*, semper ad superna spectans Ibiq̄ue manens, non cessat Indidem referri atque illuminari); IV 3.5.8-14 (animae singulae singulis supernis Intellectibus, cuius quaeque *explicata ratio* est, adhaerent); V 2.1.13-20 (Anima Intellectu quasi exuberante nata, Intellectum aspiciens plenitudinem nanciscitur); V 3.8.22-25 (Intellectus animam intrinsecus illuminans *intellectivam* effecit sibiq̄ue Lumini superno similem et quasi vestigium sui); V 9.3.30-31 (Intellectus animam *rationibus* suppeditat); VI 7.17.36-40 (Intellectus animam propriis vestigis inditis eiq̄ue praefulgens *rationalem* efficit); VI 9.5.10-12 (scientiae enascuntur in anima quasi *rationes* palam explicatae auctore Intellectu); anima ipsa dicitur *ratio*, *summa rationum*, *potentia rationum* (VI 2.5.12-14).

78 Anima est *effigies Intellectus* (V 1.7.40). Eiusque *imago* (V 1.3.7; V 3.9.8), *vestigium* (V 1.7.44; V 3.8.25), *ratio* (V 1.3.8), hinc *orbicularis* ad Illius imaginem (*infra* n. 83).

79 I 7.1.20-28 (Bonum instar centri quoquoersus radiantis); IV 3.17.12-21 (Bonum instar centri, Intellectus instar primoris Circuli ex illo centro pro-silientis, Anima quasi Lumen ex Lumine instar novi Circuli ex Intellectu emanantis); IV 4.16.23-27 (Unum instar Centri, Intellectus instar Circuli immobilis, Anima instar Circuli mobilis ad Centrum avidissime vergentis). Intellectus autem, quia unus et multiplex, quia tot Intellectibus pullulat, apposite assimilatur Circulo (III 8.8.32-38; V 1.7.5-19; V 1.11.7-13; VI 8.18.4-25). Anima quoque se habet ad animas particulares sicuti centrum ad radios in orbem propagatos (IV 2.1.23), atque, utpote intervallum indistans, circulo e centro quam proxime centro exrescenti assimilatur (IV 4.16.20-22). Anima enim non minus quam Intellectus est una ac multiplex, *acies varia*, *ratio una omnis*, *multiplex ac varia*, *animal psychicum ac multiforme* (IV 3.8.17-19), *multitudo una* (VI 2.5.10).

80 FICINUS: «atque a tali quodam anima pendet». BOUILLET: [en disant qu'elle a un centre, on entend que] l'âme est suspendue au Premier Principe [par la partie la plus élevée de son être]. MACKENNA-PAGE: «that it owes its origin to what is whole». BRÉHIER: «que les âmes sont parties de cette nature». CILENTO: «e che l'anima dipende da un così prodigioso principio». HARDER (qui totum hunc locum laetuosum censet lin. 14-15): «dass sie fern von derartig Niederem noch weit mehr (?)...».

81 Comp. V 1.11.13 τῷ γὰρ τοιοῦτῳ τῶν ἐν ἡμῖν = τῷ οἷον σημεῖον ἐν ἡμῖν (subaudiendum e lin. 12).

depingit⁸². Ergo anima *circularem naturam* (=intellectivam naturam) a Parente per ortum traduxit, os Genitoris sua ipsius natura reddens⁸³.

Hic iam tibi quae ineunte capite (8.2-4) Plotinus dixerat, quasi nova luce conspersa, dilucescunt, nempe motum (i. e. activitatem) animae quamdiu secundum naturam (i. e. secundum orbicularem animae naturam) exerceatur, esse et ipsum *circularem*; ubi primum *frangatur* (sc. corpore cum strepitu ingruente) fieri *rectilineum*, sc. ex intellectivo sensibilem⁸⁴.

15 καὶ ἔτι μᾶλλον.

Accipio haec verba ut elliptica, coniungo cum praecedentibus, seiungo per punctum a subsequentibus. Sensus ita reddi potest: anima est circulus "quia in ea circumque eam... et quia a tali, atque etiam magis (sc. quia a tali quam quia in ea circumque eam...)». His verbis ita intellectis Plotinus declarat rationem *geneticam* potiore esse ratione *descriptiva*.

15-16 Καὶ ὅτι χωρισθεῖσαι ὅλαι

Haec verba "Et quia separatae totae" esse *alicubi* corrupta, credo nos posse sine ulla cunctatione affirmare. Aperte enim contradicunt sequentibus, ubi Plotinus nihil agit nisi per imaginem ostendit animas hominum, quamdiu cum corpore sint unitae, partim mersas esse partim supereminere. Neque vero emendationes adhuc propositae remedium attulerunt⁸⁵. Ac Sleeman quidem erravit putans terminum separationis, quem Plotinus hoc loco prae oculis habeat, esse corpus. Meo tamen iudicio non est corpus, sed intellectus. Quare emendando coniunctionem ὅτι in adverbium negationis οὐ quod palaeographi-

82 Cf. notam 79 et *infra* notam 83.

83 Sicuti Intellectus, ab Uno procedens, Unum veluti fulgor luminosus orbiculatim circumdat, ita quoque Anima, quasi nitor ex Intellectu emissus, Intellectum in orbem circumcursat (comp. III 5.2.30-32 cum V 1.6.28-30. Adde I 8.21-25; V 1.7.42-44; V 3.9.7-20). Non me fugit in nostro loco sermonem esse de anima individuali, plerosque autem locos allatos (nn. 77-79 et 83) pertinere vel ad animam universalem vel ad animam universi. Verumtamen ipsa anima individualis, prae multitudine *rationum intellectivarum* ab Intellectu procedentium (VI 9.5.10-18; comp. V 1.11.1-7), imaginem reddit universi intellegibilis, unius simul et multiplicis.

84 Sensus, iuxta Plotinum, lineae rectae assimilari potest, perinde ut intellectus circulo. Cf. V 1.7-8.

85 J. H. SLEEMANN, *Notes on Plotinus*, III, Class. Quart. 24 (1930) p. 82, legebat ὅτε pro ὅτι VOLKMANN, quem sectatur BRÉHIER, omittit καὶ: καὶ ἔτι μᾶλλον ὅτι κτλ.

ce simillimum est, omnia componi posse videntur: Καὶ οὐ χωρισθεῖσαι ὅλαι, "Neque separatae totae" (sc. ab intellectu), id quod Plotinus continuo per imaginem ostendit corporis partim mersi partim supereminentis. Per quae verba Plotinus obviam it obicienti, quidquid sit de orbiculari indole animae a corpore disiunctae, certe quamdiu cum corpore sit unita, circularem esse nequire, utpote a corpore distractam atque in corpore mersam. Cui Plotinus respondet animas, etiam cum corpore unitas, non esse *totas* seiunctas (sc. ab intellectu), sed natura inferiore tenus; superiore autem supereminere; posse ergo (lin. 18-20) per suum quasi centrum cum universali centro cohaerere (cf. *infra* 9.7.-11). Transitus autem ad numerum pluralem sequitur e natura ipsa obiectionis (quae non est explicita, sed e responsione Plotini subaudienda): qui enim illa obicit prae oculis habet animas hominum *per corpora distributas*; hinc numerus pluralis.

8.38 ἐξάδων.

Suspitor —id quod me non posse demonstrare fateor— hoc verbum hoc loco aequae valere ac "dissonare". Quem quidem sensum apud lexicographos non reperias. Sed et cum contextu cohaeret (chorus ad coryphaeum conversus apprime cantat, concinne cantat lin. 40; comp. 44. Ergo consentaneum est fore ut a coryphaeo aversus dissonet), et naturae praeverbii peraccommodate respondet. Sicuti enim ἀπάδειν idem est ac 'seorsim canere', hinc *dissonare*, ita quoque ἐξάδειν idem valet atque 'extra canere', hinc facile *dissonare*, *extra numeros canere*.

Possum addere confirmationis causa Migne PG 85, 1348D⁸⁶, ubi contextus suadet ἐξάδων interpretandum esse "inconcinne canens"⁸⁷. Nam obiectum ad ἐξάδων est κακά, deinde εὐφωνε ironice dictum; etiam sub voce ἀνόμημα amphiboliam latitantem olfacio: 'nefas', sed etiam 'cantus inconcinuus'.

Res tota clarius elucebit si animadvertas Plotinum *participium* transmutasse cum *optativo*. Scripsit enim ἐξάδων... τραπέη ἂν κτλ. *pro* τραπεῖς... ἐξάδοι ἂν κτλ. "conversus ad *spectaculum externum, dissonet*". Haec tamen transmutatio nemini offen-

⁸⁶ Κατάβαλε τὸ εὐφθες τοῦτο ἀνόμημα, ὃ ἀστείε σὺ καὶ εὐφωνε, καὶ τὰ κακά πρὸς ἀπιστίαν τῶν ἀνοήτων ἐξάδων.

⁸⁷ Sensus qui huic verbo attribuuntur apud LAMPE, *A Patristic Greek Lexicon* (*sing over and over again, repeat*), pertinent potius ad ἐάπω.

diculo esse debet. Est enim idiomatica⁸⁸. "*Spectaculum externum*" intellego *scaenam* vel *theatrum* (*externum* videlicet *choro*) stans pro *mundo sensibili*.

9.12-13 τὸ πόρρω εἶναι μόνον καὶ ἕττον εἶναι.

Verus sensus huiusce sententiae videtur mihi esse: "*procul esse, esse dumtaxat ac minus esse*", ubi "*esse dumtaxat*" infimum gradum entis significat, quo sublato λύσις ἡμῶν παντελής ἔσται καὶ οὐκέτι ἐσόμεθα (8.41-42).

9.22 καὶ ἐκεῖ γενομένη γίνεται αὐτῇ καὶ ὕπερ ἧν.

Disceptatio hoc loco non tam debet esse utrum alterum καὶ expungendum sit necne⁸⁹, quam utrum illo retento, αὐτῇ accipiendum sit ut subiectum ad γίνεται an ut praedicatum. Si ut subiectum acceperis (comp. Cilento: «e una volta che sia lí giunta, ella diviene ancora 'quello che era'»), gradationem obtinebis: "*Illuc reddita, ipsa redditur et id ipsum quod erat*". Sed in hac interpretatione αὐτῇ supervacaneum sonat, cum tota emphasis sita sit in καὶ Quapropter praestat accipere αὐτῇ ut praedicatum: "*Illuc reddita, redditur ipsa, id est, id ipsum quod erat*". Per "*id ipsum quod erat*" Plotinus intellegit "*antiquam naturam*" animae (8.14-15), qualis erat ubi ab Eo processit (4.28-29)⁹⁰.

11.24-25 καὶ περινόησις πρὸς ἐφαρμογήν

Per περι— una cum πρὸς Plotinus in memoriam revocat activitatem, qualem in cap. 8 descripsit, animae intellectivae *circularem* versus Unum veluti centrum vergentis in orbemque circumsaltantis (8.43-45): "*circumintellectio versus copulationem*".

J. IGAL.

88 Cf. SCHWYZER-DEBRUNNER II, p. 289. Zusatz 2: «Mit expressiver Wirkung werden bei Dichtern und in Kunstprosa Hauptverb und Ptz. vertauscht».

89 Expungunt VOLKMANN, BRÉHIER, HARDER.

90 De 10.11-12 vide *supra* notam 10. De 10.12ss. lectorem refero ad CILENTO, qui rem rectissime reddit: «Il contemplato, invece (se pur occorra dire che sono due il veggente e il visto e i due non sono, ad contrario, una cosa sola, per quanto suoni ardata l'espressione), non lo vede...».